



21

~~G 11 23~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-56

SIGNAT. 1515CCCXIII.



D. T. O. M. A. J
Disputatio Philosophica
De
VISIONE DEI
SICUT IN SE EST.

Quam
Ex consensu & suffragio Facultatis Philo-
sophicae

PRO LOCO
In eadem sibi dato,

Publicè
Ventilandam & examinandam proponit

M. PAULUS SLEVOG-
TIUS VINARIENSIS, POETA
LAUR. CÆSAR.

Cum Parastatâ ac

R E S P O N D E N T E

JUSTO SCHIEDÆO MÜLHUSINO.

Ad diem 24. Septembr. in Auditorio
majori.

J E N Æ

Excudebat Johannes Weidnerus, Anno
M. DC. XXV,

D. T. O. M. A.
Disputatio Philosophica

VISIONE DEI
SICUT IN SE EST.

Quam
Expositioe & Insuper Facultatis Philo
sophiae

PRO LOCO
in eadem sibi dabo.

Palais
L'entenda de examinandam program

M. P. A. L. L. U. S. S. L. E. V. O. G.
T. I. O. S. V. I. N. A. R. I. E. T. I. S. P. O. E. T. A.

L. A. B. R. C. A. S. A.
Cum Paraphrasae

I. I. S. T. O. S. C. H. E. T. E. D. A. O. M. A. L. I. S. I. N. O.

Adhuc et. Septemb. in Auditorio
majore.

I. E. N. A.
Excudit Johannes Weidnerus, Anno
M. DC. LXX.





DE
VISIONE DEI
sicut in se est.

Inquisitionis de visione Dei, sicut in se est, quantum quidem sub naturalem cognitionem cadit, tria veniunt in considerationem: unum, an possibilis sit Dei visio clara, intuitiva & immediata, prout is est in se; ac proinde communicari ab eo homini possit? Secundum, si videri Deum ab homine non repugnet, quomodo fiat illa visio, an per potentiam sensitivam, ut ita sit corporalis, vel per potentiam intellectivam, ut sit spiritualis? Tertium, si videtur Deus, an in eo videantur pariter non solum illa, quæ sunt formaliter in ipso, sed etiam ea, quæ eminenter in ipso, formaliter autem ex-
A 2 tra



tra ipsum sunt, ut creaturæ? Hæc tria
opus nostrum erunt, & absolvent, quam
ordimur, tractationem. Speculabimur
autem ea, ut oportet, nudè atq; bre-
viter.

SECTIO PRIMA

ostendens,

*Quod homo possit clarè & intuitivè videre
Deum, ut in se est.*



Videre aliquam rem vel cogno-
scere possumus duobus modis. 1. Media-
rè, si intueamur effigiem ejus atq; simili-
tudinem, & sic amicum absentem in ima-
gine ipsius quodammodo cernimus, artificem in re
effectâ. 2. Immediatè, si ipsam videamus per suam
essentiam & intueamur, sicuti est in se. Illa visio ob-
scura dicitur & abstractiva: hæc clara & intuitiva.
Utrovis modo videre Deum ac cognoscere possu-
mus: obscurè, in creaturis, in quibus velut effecti-
bus relucet bonitas, sapientia & potentia Creatoris:
& clarè, intuendo illius essentiam. quod perspicun-
jam reddemus & suis porro fundamentis subfulcie-
mus.

ADSSERTIO I.

*Videt homo Deum in creaturis tamquam
in effectibus, quibus aliquo modo, licet ob-
scurè, representatur.*

Negant

Negant hanc visionem *Photiniani* & *cumprimis Osterod. in institutionibus*; inter alia sic arguentes: si in creaturis videri potest Deus, sequitur, quod cum videant omnes, qui creaturas diligenter excutiunt: hoc tamen falsum est, ut patet exemplo Indorum, qui de Deo nihil unquam cogitarunt, & quorundam Philosophorum, qui Deum esse constanter infir-
ciati sunt; ergo & prius. Verum enim vero invalida
rela torquent, dum contra communem Mortalium
sensum dimicant. Indi, sicut & alii Ethnici, licet
ignorent, quis vel quid sit verus Deus; non ignorant
tamen, quod sit. ex hoc id, reor, evidense est, quod,
ceu Historici referunt, vel ipsum *Cacodæmonem* co-
lunt ac invocant, non quidem ut Deum, sed ut Dei
ministrum. quidam etiam Solem, Lunam, aliasq;
Creaturas sibi constituere Deos. ista sanè Indorum
idololatria potenter evincit, scire ipsos, aliquem esse
Deum. Sic Philosophi quoq; si Deos negarunt, quod
Cicero, Laërtius, Plutarchus & Galenus adstruunt, vel
fictos Ethnicorum Deos risere; vel si verum Deum,
ore fecerunt, non corde.

Ceterum adsertionem Paulus evidenter innuit: *Rom. i.*
in creaturis, inquit, *καὶ ἰδοὺ αὐταὶ* vel videtur Dei vir-
tus ac divinitas. ac Jobus clamat: omnes homines *Job. 36.*
vident Deum, unusquisq; intuetur procul. Sed hæc *v. 35.*
incidenter dicta. nihil addimus. Sit

ADSSERTIO II.

Potest homo elevari, ut immediatè
Deum videat, & contempletur clarè ac in-
tuitivè, sicuti in se est.

A 3

Negant.

Negant Armeni & Græci apud Armacanum lib.
14. Quest. contra ipsos, 1. Scholastici docent omnes;
sed non eodem modo probant. Thomas 1. part. summ.
Theol. quest. 12. art. 1. sic argumentatur: Homo natu-
raliter adpetit maximam Dei cognitionem, hoc est,
videre Ipsum, sicuti est: ergò possibile est, hunc ad-
petitum impleri, patet consequentia. nullum enim
naturale desiderium frustra est, ac proinde fertur in
id, quod possibile; nisi jam possibile esset, Deum ab
homine videri, ad hoc non inesset ei naturalis adpeti-
tus. atq; hanc Thomæ rationem optimam censent
Cajetanus, Gregorius de Valentia, Vazquez in locum est.
ac Becanus part. 1. Theol. scholast. c. 9. quest. 1. Scotus autē
in 4. sentent. distinct. 49. quest. 8. ita colligit: Facultas
aliqua, cujus obiectum adæquatum est communis
quædam ratio, continens sub se plura singularia, pos-
test operari circa quodlibet illorum: ergò intellē-
ctus, cujus obiectum adæquatum est Ens, poterit ope-
rari circa Deum, qui sub Ente continetur: ac proinde
inclinatio naturalis intellectus ita perfectè poterit
operari circa Deum, sicut circa cætera obiecta, hoc
est, intuitivâ & clarâ visione. Porro autem posse in-
tellectum creatum ab aliquo, nempe à Deo ipso ad-
juvari, ut intra limites sui obiecti adæquati ita perfec-
tè operetur circa unum obiectum, sicut circa aliud,
non est impossibile: ergò nec, Deum ab intellectu
creato videri, impossibile erit. Atq; hæ sunt inter
alias istorum rationes, quæ etsi demonstrationes vi-
dentur, solo tamen naturalis rationis lumine investi-
gari vix potuissent quemadmodum enim intelle-
ctus creatus, ut circa multa naturalia non eriet, indi-
get lumine fidei adjuvari: sic sine hoc lumine ad
omnes

omnes ipsum rationes adfurgere posse, rectè, puto, negatur. interim si semel adinventæ sint, efficacitas earum intellectui naturali lumine instructo vim adfert, ac ipsum movet ad adsensum. ut proinde heic subponendum sit, quod in scripturâ Johannes ait: *nondum adparuit, quid futuri simus, quum autem adparuerit, scimus, quod similes ei erimus & videbimus eum, sicuti est.*

Plura non adjungimus. Thomam duntaxat à difficultatibus liberamus, quas patitur. Dicat enim quispiam 1. Ubi est adpetitus naturalis ad aliquam formam, per quam potentia patiens perficitur, necesse etiam est, esse instrumenta & principium efficiens naturalia, quæ cum formâ potentiam queant conjungere: sed ad visionem Dei claram ac intuitivam, ut cum homine illa conjungi possit, non est principium aliquod agens naturale nec instrumenta naturalia: ergo nec ad illam visionem Dei adpetitus est naturalis. 2. Dicat: falsum est, quod, quæ naturaliter adpetimus, sint statim possibile. ferri enim naturale alicujus desiderium bene potest etiam in id, quod impossibile, dummodò nulla in eo adpareat ratio mali, ob quam odio haberi possit. quemadmodum Angelus, postquam Deum consideravit, adpetitu æqualitatis secundum naturam peccavit, ut volunt Scotus in 2. sent. dist. 6. quest. 1. & ibidem Biel, Major, Bassolis: æqualitas tamen Dei secundum naturam Angelo, ut constat, impossibilis fuit.

Sed laceffunt Thomam hæ difficultates: non lædunt. In primâ ad Majorem distinguimus inter adpetitum naturalem, qui sequitur naturam & esse, quem innatum vocant: atq; inter adpetitum naturalem,

ralem, qui cognitionem sequitur, quem dicunt elicium. De illo Major concedi potest: sed de hoc Thomas loquitur, ut patet. adpetere enim Nos naturaliter, ait, ac desiderare Deum videre, quia effecta videamus vel creaturam eius. nominat autem naturalem, quod necessarius aliquo modo est, saltem quoad specificationem. In secundâ, etsi fortè impossibilem aliqua voluntas, quam vocare solent velleitatem, quin etiam aliquod desiderium quandoq; est, non tamen id necessarium esse potest quoad specificationem, & propterea nec naturale. que sic? si namq; penitus expendatur, ex se malum est adpetenti & convehit secum non esse Eius. unde aliqua in objecto mali ratio deprehenditur, cujus intuitu odio potest haberi. sed visio Dei huiusmodi non est, nec potest ex se Nobis esse mala, nec ut talis adprehendi, sicut nec visio cuiusq; causæ, quam videre desideramus, ac propterea neq; odio haberi.

SECTIO SECUNDA

ostendens,

Quomodo & per quam potentiam fiat Dei visio.

MAnifestum, puto, reddunt, quæ diximus, posse Deum ab homine videri visione clarâ & intuitivâ: sequitur nunc, ut dispiciamus, quomodo illam oporteat visionem fieri, an per potentiam sensitivam, ut sit corporalis, an verò per intellectum, ut spiritualis sit? quia enim & oculus hominis videre dicitur & intellectus, distraxit hoc Doctorum animos, ut quum de Dei visione audiunt, alii corporalem intelligant, alii intellectivam. Nos ut sequitur, sentimus,

AD SER

ADSSERTIO I.

*Impossibile est, visum corporalem in Deum
ferri, visione clarâ & intuitivâ, addo,
cujus ipse sit principium vitale.*

Est Thome 1. part. summ. Theol. quest 12. art. 2.
Vazquez Torra. 1. disp. 40. cap. 2. Suarez disp. Metaph. 30.
sect. 11. num. 2. Colleg. Conimbr. lib. 2. de Anima cap. 6.
quest. 3. art. 2. Becani part. 1. Theol. Schol. cap. 9. quest. 6.
concl. 2. probatur. Quod non continetur sub objec-
to visus corporalis, id oculo etiam corporeo videri
nequit, sic ut visionis ipse principium sit vitale: Deus
non continetur sub objecto visus corporalis; ergo
Deus etiam oculo corporeo videri nequit, sic ut oculus
visionis principium sit vitale. Minor patet: ob-
jectum enim visus corporalis est visibile corporeum:
Deus autem est spiritualis & incorporeus. Major
confirmatur; Si enim visio corporalis ita pendet ab
oculo, ut produci sine illius concursu nequeat; evi-
dens est requiri virtutem aliquam in oculo vel po-
tentiâ visivâ effectricem circa objectum, quod debet
videre, ut sic elevari non possit ad aliquid cognoscen-
dum, nisi circa ipsum habeat vestigium saltem inna-
tæ efficacitatis: tale autem est omne, quod intra lati-
tudinem objecti visus non continetur; ergo adtingi
etiam à potentiâ visivâ nequit.

ADSSERTIO II.

*Deus quando videtur clarè ac intuitivè,
sicut in se est, videtur per intellectum.*

Hanc adsertionem concedunt omnes, qui prio-

B

rem

rem non improbant, ex quâ sequitur. unde confirma-
tione super sedemus. unius solam meminisse iuvat. A
nonnullis, qui conclusionem admittunt, dupliciter
circa illam peccatur. Quidam enim volunt, in intel-
lectu nostro, si sensuum impedimentum removeatur,
subficientem esse & nativam efficacitatē, ut natura-
liter absq; ullo alio Deum velut objectum immediatē
manifestatum clarē intueatur; ita *Durandus in 4. sen-
tent. dist. 49. quest. 2. num. 24.* & adscribitur *Scoto in 3.
sent. dist. 14. quest. 1.* sed absolum hoc. si enim Deus à
Nobis naturaliter esset intelligibilis, nec aliud quid
ex parte intellectus requireretur præter Dei præsen-
tiam, quum intimè sit in intellectu, ab omnibus nar-
turaliter videretur: id quum non fiat, argumento est,
quod intellectui insuper uniri debeat per aliquam
formam; ratione cuius non tantum sit secundum
rem, sed etiam secundum rationem objecti præsens.
Quod sensuum impedimentū obvertitur, ut patebit,
frivolum est. Porro quidam volunt, intellectum no-
strum virtute propriâ Deum non videre solum posse,
ut in se est, verum etiam, quod plus est, comprehende-
re; sic olim *Beguardi & Beguine*, qui, testibus *Niceta
& Psello*, ex schola *Platonis* fuerunt. sed neq; hoc re-
ctè. tunc enim objectum comprehenditur, quum di-
stinctè cognoscitur, quidquid in ipso est formaliter &
eminenter: sed intellectus humanus totum Deum
ita cognoscere non potest, ut videat distinctè, quæ
formaliter & eminenter in ipso sunt: ergo nec con-
prehendere. Minor constat. nam videam⁹ licet, quid-
quid in eo formaliter est; non tamen videre possu-
mus, quæ ipsum consequi & ab eo ex naturâ suâ pen-
dere queunt, futura, possibilis omnia, ceu mox tra-
demus.

SECTIO

SECTIO TERTIA

ostendens,

*Quæ videantur in Deo, quum clarè vi-
detur.*

PRæmittimus aliquid, in duplici differentia sunt, quæ in Deo esse intelliguntur: quædam sunt ipsi intrinseca & dicuntur inesse formaliter, ut propria prædicata: quædam sunt ipsi extrinseca & dicuntur inesse eminenter vel virtualiter, ut effectus. & juxta hæc conclusiones ponimus.

ADSSERTIO I.

Qui videt Deum sicuti est simul ea, quæ sunt in ipso formaliter necessario, videt.

Probatur: quia Deus in seipso simplicissimus est, ac ex naturâ rei nullam nec minimam diversitatem habet, adeò ut omnia etiam illa, quæ à Nobis ob defectum cognitionis distinguuntur, in Eo sint instar puncti omninò indivisi: ergo qui videt Deum sicuti in seipso est, non potest non videre pariter, quæ in Eo formaliter & intrinsecè sunt, per modum unius simplicis Entitatis, sine ullâ distinctione actuali. Sed obviat quis, consequentiam hoc modo diruens: potest, qui Deum clarè intuetur, plures de illo conceptus veluti partiales & inadæquatos formare, ut ea, quæ in objecto sunt una simplex Entitas, in intellectu distinguantur: igitur non necesse est, ut qui Deum videt, sicut in seipso est, videat statim omnia, quæ formaliter in eo, per modum unius simplicis entitatis. **V**erùm in antecedente distingvimus: vi Deum videt, **B** i potest

potest inadæqvatos de illo conceptus formare, quales in hac virâ habemus de Deo, per alienas species; sic enim nil impedit, quò minus plures sibi perfectiones distingvantur: non autem potest intuitivos Dei conceptus inadæqvatos formare, quia notitia clara Dei, quam intuitivam dicimus, esse nequit, si distingvat ea, quæ in Deo sunt indivisa.

ADSSERTIO II.

Deus clarè visus per modum objecti cogniti, non est medium vel ratio videndi aliquid creatum: nec qui intuitive videt essentiam divinam, eadem visione vel vi ejus videt pariter, quæ heic in terris sunt & geruntur.

Intelligimus autem hoc de creaturis, quatenus sunt extra Deum secundum proprias earum rationes, non quatenus in Deo dicuntur esse ipse Deus. Duplex enim, ut constat, vulgò ipsarum statuitur esse 1. eminent, quod habent in Deo, & est increatum ac infinitum. 2. formale ac proprium, quod habent vel habere possunt in se & est creatum ac finitum. De hoc esse assertum loquitur, non illo. nam de eo non potest esse dubium, quippe ubi idem omnino est videre Deum & creaturas in ipso. Ponitur autem assertio contra *Durandum in 4. sent. distinct. 49. quest. 3. & in 3. dist. 14. quest. 2.* ubi duo tradit: primò, videntes Deum, ex vi visionis in verbo intueri omnium rerum, quæ sunt & fieri possunt, essentias: deinde, nihil futurum cognoscere, quatenus futurum est, sed cognoscere solum per peculiarem revelationem. item

contra

contra Thomam 1. part. summ. Theol. quest. 12. art. 8. & Thomistas, qui volunt ex vi visionis, quæ Dei essentia videtur, aliquas saltem creaturas videri & tantò quidem plures, quantò perfectiùs quis Dei essentiam intueatur; non tamen hoc pacto omnia ibi possibile cognosci posse. Quo pertinet Bart. Nibufius, qui in tract. de cult. Sanctor. c. 1. quest. 1. class. 3. argt. 1. sic scribit: quod Angeli in cælis norint res nostras, adfirmat Christus ipse. videte, inquit, ne contempnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Angeli ergo, & quidem qui sunt in cælis, sentiunt, si contempnantur pusilli. quare? quia vident faciem Dei. at anime Beatorum non minùs vident Deum à facie ad faciem, ut loquitur S. Paulus: ergo non minùs in Deo videbunt res nostras.

Contra hæc argumentamur ita. Si essentia divina clarè visa est ratio & medium cognoscendi aliquam creaturam aut etiam aliquid eorum, quæ heic geruntur in terris; vel est ex eo, quia in essentiâ divinâ existit formaliter, vel forrè quia in ejus virtute solùm & efficacitate est tamquam in causâ, vel tandem quia est in eâ, ut habet rationem potentie, ideæ, & cognitionis: sed nullo ex his modis creatura aut eorum quid, quæ heic apud Nos geruntur, in Deo videri potest: ergo essentia divina clarè visa quatenus talis videntem non ducit in alicujus creaturæ vel alicujus eorum, quæ apud nos fiunt, claram notitiam. Minor, quæ tripartita est, probatur. primò, non videmus creaturam vel aliquid nostrarum rerum vi visionis Dei, quia sit in Deo formaliter; quoniam nulla creatura, aut quod nostrum, formaliter in Deo est, scilicet

secundum propriam naturam & rationem. Dum namque
que in ipso esse dicitur, ibi eminenter est & nihil aliud,
quàm ipse Deus. nos autem agimus de cognitione creaturæ
secundum propriam rationem creaturæ, quatenus est aliquid à Deo
distinctum. Deinde Dei visio non est ratio cognoscendi creaturam,
quia in Dei virtute sit & efficacitate, quam vis enim res dicantur
esse in Deo tamquam in causâ; non tamen id sufficit, ut videns Deum
clare, sicuti est, creaturam propter id in ipso cognoscat vel intueatur.
ita namque essentia divina absolutum quid est: absolutum autem
ut sic & secundum se spectatum non ducit. Nos in cognitionem alterius,
quia ad aliud non refertur, nec tandem Dei essentia visa est ratio ac
medium videndi creaturam vel res nostras, quatenus idea & cognitio
ipsarum est. patet, si enim vi visionis essentia divina, ut sub
conceptu idea consideratur, creatura & res nostræ in Deo viderentur,
esset procul dubio, quia sic habitudinem diceret & relationem ad ipsas:
sed hoc nihil est: nullum siquidem inde respectum obtinet nisi
rationis & competentem sibi ex nostro intelligendi modo; qui præterquam
quod à videntibus non apprehenditur, insufficientis in super est, ut
creaturam cognoscendi medium esse possit. nam quoniam essentia
divina conveniat ex eo, quod creatura sit, vel sit possibilis ac futura;
prius intelligi debet creatura, quàm essentia Dei sub illo respectu;
unde potius creatura est causa cognoscendi essentiam divinam, quàm
essentia divina creaturam. atque hæc habet errorem suum Nihilusius:
nunc quàm nihil ipsum impulerint Christi verba, porro capiat, *ne contemnatis*,
inquit Christus, *aliquem ex pusillis, Angeli enim eorum in celo*

cælo semper vident faciem Patris mei. colligit ille: ergo Angeli sciunt, si contemnantur, & quidem visionis sciunt. errat. non notitia significatur, sed cura, quod illi perpetuò in cælis videant faciem Dei Patris, expectantes scilicet ab ipso mandata, ut ad salutem puerorum emittantur. quid planius est? & quid evidentius? interim non diffiteor, multam iis esse de Nobis cognitionem, quam habent aut ex eo, quod Deum vident, sed quod nobiscum conversantur, & coram, quæ gerimus, adspiciunt. & tantum de his quidem. stat Nobis veritas: stet Tibi honor Deus.

APPENDIX.

Absurdum disputare velle, nec adstringi tamen velle ad regulas Logicas quis enim est, qui latinè ac congruè loqui velit; recuset tamen ad regulas Grammaticas adligari? jam quod regulæ Grammaticæ sunt bene loqui volentibus, id sunt regulæ Dialecticæ bene disputandi cupidis. quis Poëtam ferat, qui nullis Profodiæ Legibus se adstringi velit; polliceatur tamen carmina, quæ vel Virgilii vel Homeri superent? aut debitorem, si rationes cum creditore conferre quidem velit; nolit tamen inter computandum adstringi ad regulas Arithmeticas? unde fuit argumentum.

Ut se habent regulæ Grammaticæ ad eos, qui latinè loqui volunt; ita se habent regulæ Logicæ ad eos, qui disputare volunt: sed absurdi sunt, qui latinè loqui volunt, nec tamen adstringi ad leges Grammaticas: ergo absurdi etiam, qui disputare volunt, nec tamen adstringi ad leges Logicas. proinde ut solæcismum redolet oratio, nisi cum præceptis Grammaticis consentiat: sic *ἄλογος* est discursus, si Logicis præceptis non conformetur. rursus. ut se habet Poëta ad Profodiæ leges, Calculator ad Arithmeticæ; ita se habet disputator ad regulas Logicæ: sed Poëta debet adligari ad leges Profodiæ, Calculator, Arithmeticæ: ergo etiam disputator adligari debet ad Leges & regulas Logicæ.

Ἀργος-

Ἀγαλέων θηρᾶν κόσμῳ γενετῆρα παναύγες,
Ἐσπερ θαυμάσιον θρέμμα θεοῖο πλατῶν.
Δυσχερὲς ἢ μᾶλλον φυσικῶ νόσ ἠγεμονῆ
Φῶτι θεῶ γενέτῃ ὑψιθρόνοιο ὄρῃν.
Δεῖνῳ μὲν καμάτωσ' αὐτὰ γῆα λέλυνται ἀνάτη
ἰχὺν δεικάνῳ πευκλίμοιο φρενός.
Ἀρχηγῶ προάγοντος ἀνεῖς καθέδρην εὐπηκτον
Ἐνθα λύων ἀπάτας κρυπτιάδας τε τροφασὺς
Ναὶ δὴ συγχαίρω σοι, ἐσ' ἔργον ὄμμα πταίνων
ἔχομαι, ἀκμάζοις, ἀνθεε, καρπογονοῖς.

Gratulabundus f.

Andreas Schlussharwer
Mülhus, S. Theol. Stud.



Elendy Contentorum.

- Balthasari Meisneri Disputatio Theologica de norma fidei. Wittob. 1623.
 Jos. Tarnovii Disp. Theol. de deo filio. Rostob. 1624.
 Jacobi Martini Disp. de primo Creationis tempore.
 Jos. Cotsmanni Disp. Theol. universalia exhibent brevissimam resolutionem sex problematum ex cap.
 3. Gen. deumotem. Rostob. 1627.
 Valentini Legdei Disp. Theol. de imagine dei in domo ante lapsum. Rostob.
 Bartholomei Batti Disp. Theol. de mysterio unionis hypostaticae de unitate naturarum in christo. Gry.
 phirwaldia. 1624.
 Jos. Gerardi consideratio duorum circuli, quibus desolata Amphitruo sperare videntur, ut a
 Libani doctrina secessum faciant. Jena. 1625.
 Pauli Stevogtii Disp. Philosophica de visione dei sicut in se est. Jena. 1625.
 Jos. Tarnovii Disp. de aeterna praedestinatione hominum in fide justificante ad finem usque vite
 perseverantium. Rostob. 1625.
 Jos. Chrovi Harmonia Evangelistarum secundum parochia et itinera domini, Sora. 1627.
 Fidelis admonitio de religione papistica fugienda et Libberana constanter retinenda. Wittob. 1625.
 Pauli Robeni Demonstratio ostendens religionis Pontificiae lubricitatem, incertitudinem et
 vanitatem. Wittob. 1629.
 Jos. Hülfemann Disp. A. orthodoxa contra necessitatem conjunctionis Evangelicorum cum Romano Papa
 et. Wittob. 1630.
 Wilhelmi Gysen prudentia pontificiorum idolatria. Wittob. 1631.
 Jos. Schawzi discursus Politicus, in quo ostenditur Pontificiorum Politicorum hypoteses fore, quibus in
 iuriam inferantur tam Imperio Romano, quam Sacratissimo Imperio. Wittob. 1629.
 Pauli Robeni ~~de potestate~~ ^{de potestate} Romani Episcopi. Wittob. 1628.
 Ep. Oratio panegyrica de causis tot humilitatum. Wittob. 1627.
 Wencelaei Altwasserii Oratio revocatoria. Olava. 1611.

ULB Halle 3
 004 053 834


Sb.


V3 Pato 17



707

Faint, illegible stamp or mark, possibly a library or ownership mark.





B.I.G.



Farbkarte #13

M. A. 8
 Philosophica
 E DEI
 SE EST.
 Facultatis Philo-
 CO
 dato,
 ndam proponit
 SLEVOG.
 IS, POETA
 SAR.
 itaac
 NTE
 M üLHUSINO.
 in Auditorio
 Æ
 eidnerus, Anno
 XV,

